

## Alte Drucke

**DE || CVCVLO: || VMBRA NOCTVRNA: || CAPELLA COELESTI: ||  
BVBONE & || MARGARITA. || Historiæ & obseruationes ||  
quædam. || IOHAN. WIGAND. D. || Episc: ...**

**Wigand, Johann**

**Regiomonti, 1586**

**VD16 ZV 30875**

**DE CVCVLO PRAECONE VERIS.**

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

4.  
DE  
C V C V L O  
P R A E C O N E  
V E R I S.

DE APPELLATIONE.



Ruckuck.

Rucken.

VCVLVS nota avis est, in vere sua voce quasi gratulans Mundo, quod calore solis omnia incipient reuirescere. Traxit autem nomen à clamore, quem subinde ingeminat sine variatione. Clamat enim Ruckuck, vnde & Germani eum sic appellant Ruckuck, quam quidem appellationem, multæ aliae gentes quoq; retinent, licet in pronunciatione sit aliqua varietas. Item, Germani usurpant verbum Rucken/pro videre, speculari, intentè aliiquid intueri. Sic Cuculus reuera suo aduentu & breui vociferatione & circumuolitatione intuetur mundum, Rucket in die Welt/Sihet in die Welt, & paulò post iterum discedit. κόκκος græcè.

Kaath Leuit. II. Deut: 14. Cuculus, quamuis alij mergulum, Ardeam, Pelicanum, vertant, Sopho. 2. vbi de Niniuë euastatione ac desolatione dicitur, Munsterus vertit: Cuculus, (Kaath) atq; noctua pernoctabunt in superliminaribus eius. Kik, Thalmudistæ lib. 18. cap. 28. appellant. Plinius à natur: Alitem temporarium eum vocat.

Q V I D.

Cuculus est avis, Nisi (eines Sperbers) magnitudine, & pennis ei similis, pedibus flavis, vere prodicens ex suo lecto, vbi per hyemem delituit, proclamando

D E C V C V I O.

mando suum nomen, circumvolitat, post Iohannis verò diem, silentium ingressus, tandem autumno approximante, mature iterum in lectum quietis sua hyenal is se recipit atq; includit.

Q V O T V P L E X.

Nonnulli aiunt duplēcē esse Cuculum, maiorem & minorem. Sed multi reclamant. Apud nos quidem in Prussia & in Germania non sunt duplices cuculi, sed vnius generis tantum.

D E P R O P A G A T I O N E.

Qui Cuculum ex Niso & Columba compositum esse scriperunt, non hoc voluerunt, cuculum ex utriusq; auis commixtione nasci, sed magnitudinem & pennarum colorem inspexerunt, quia æquat mediocris columbae quantitatem, colore verò & pennis, Nisum aliqua ex parte repræsentat. Metamorphosis autem accipitris in cuculum, Pliniana fabula est, quamuis ex Aristotele videtur hausisse.

Parit oua cuculus, vt aliæ aues, ex quibus suam speciem, ex ordinatione Dei conseruat. Verum eam <sup>Ouotum</sup> partue. habet præ alij proprietatem, vt non construat proprium nidum, necq; oua sua ipsemet excludat, sed mira sagacitate obseruat nidos paruarum auicularum, ac tempus ipsum nouit, in quos furtim, &, vt appareat, etiam vi quadam imponit sua oua, & quidem in singulos nidos, singula sua oua collocat: Alia autem oua alterius auiculae, remouentur, siue ab ipso cuculo, siue à matre incubante, & pro stoliditate sua magnitudinemoui, quod accepit, admirante. Quot autem oua pariat cuculus foemella, certò non potest skiri.

Veross-

Vero simile tamen est, eam aliquot gignere, & in diuersos nidos ponere ac distribuere. Aliqui putarunt vnico ovo contentam esse, fundamento exiguo nixi, quia singula oua paruis auiculis submittit. Verum tantillarum avium nidi plures pullos cuculos sustinere non possent, nec illae sufficerent, ad aliquot cuculos enutriendos, id quod cuculus senior pro naturali suo ex Dei creatione intellectu, probè nouit.

Auiculae, quibus substituit sua oua cuculus, ipsarum propriis ouis elisis, sunt currucæ plerunque, quod sèpè conspexi, Anno 1583. meus filius Iohannes, puer septem tunc annorum, prope meam habitationem inueniebat pullum cuculi in nido motacillæ, ad ripam fluioli ex mola decurrentis, ibique cum voluptate spectauimus auiculam, magno labore in nido alentem suum grandem istum fœtum cuculū, donec adolesceret. Ferunt & in nidum Alaudæ humi extructum, item Rubeculæ, item in Palumbium nidos, id quod mihi non contigit videre, Cuculum sua oua reponere. Aristotelem apparet, aliorum minus exploratam narrationem secutum, cùm inquit: pullos cuculi nemo se ait vidisse.

11b:9. denat.

animalium.

Inter fabas in horto, item inter densas vrticas, semel atque iterum deprehendi in nidis paruarum auicularum, pullos cuculos sedentes, ac semper unum duntaxat, quia is nebulo sua crassicie non tantum implet nidos istorum auicularum, sed etiam supereminet, donec vndique pennis probè instructus, euulet.

Quando autem sic maturus ætate, aeri se committit, ac volatum discit, tum à curruca aut motacilla, aut quæcumque illa avis est, à qua exclusus est, magna cura circumducitur, ex arbore in arborem, & cibus vndique conqui-

conquisitus matris cura, in patulum ac vorax os ipsius congeritur, donec paulatim expeditior ad volandum factus, & mundi rationem cognoscens, ipse met sibi escam quærat. Vidi ipse pullos cuculos post diem Bartolomæi in meo horto, in oleribus capitatis, ut vocant, ericas venari, & inuentas audire vorare.

Quod autem cuculus iste tam sollicitè & laboriosè nutritus atq; educatus, tandem suam matrem, crudeli scelere laniet atq; deuoret, non potui ex ullo homine, qui certò potuisse assuerare, se id conspexisse, cognoscere. Nec verò id simile videtur, quia cuculus <sup>Cuculi erga nutritiæ ingræ</sup> immansus.

non est avis carniuora. Nemo enim vñquā vidit, quod vllus cuculus adultus aliam auiculam discerpserit ac deuorarit. Procul dubio autem, si ea foret natura cuculi, vorare alias aues, quas capere posset, tum seniores aut adulti cuculi, id magis facerent, quam illi iuiores, quos credibile est paulò citius deserí ab altricibus matribus, vbi monitri à se exclusi proceritatem & toruitatem, cùm sint alias pauidæ, conspexerint. Vnde igitur Plinius hoc acceperit (Nam Aristoteles de hoc nihil habet) quod Cuculus ingratitudinis in- <sup>Lib. 9. cap. 9.</sup> fame exemplum de se præheat, turruta matre deuorata, vbi satis pastus & incrassatus esset, incertum est. In Germania quidem & Prussia, vbi cuculi annuatim se vociferando passim exhibent, nemo hominum id suis oculis vidit. An verò cuculi in alijs longinquis regionibus sint immaniores, alijs inquirendum relinquo. Mihi quidem vix videtur. Optarim autem ista & similia multa, ab excitatis & fide dignis ingenj; obseruari, ut uisa ac certò explorata literis mandari possent. Veteres Physicos nonnulla ex incertis narrationibus apprehendisse, quæ multò aliter se habent,

B ipsa

ipsa experientia commonstrat, Ut Plinio quoq; in descriptione Cuculi aliquot in partibus accidit.

*Cato Cuculi  
osculentia.*

Porro pullus Cucus, dum est saginatus, dicitur habere carnem grati saporis. Senex autem Cucus in cibum non experitur.

*Odem Accipis  
trum & Niso-  
rum in manu ex-  
studeo in Cuc-  
ulus.*

Mirum autem & hoc est, quod dum Cucus suis clamoribus appetet, raro Accipitres & Nisi visuntur, quibus Cucus est similis, ita ordinante Deo, ut iste bonus nuncius & praeco veris, suum munus absq; periculo possit perficere. Nam Accipitres constat rapere ac vorare Cuculos. Sunt igitur isti latrones interea quasi relegati in remotiora loca, sylvasq; densiores.

## DE FORMA ET proprietatibus.

Proportio etius substantiae Cuculi est eiusmodi: Magnitudine est Columbi ferè, ut dictum, corpus videtur breuius aliquantò, cauda paulò longior, pennæ Nisi colorem & varietatem æmulantur, (Vie ein kleiner Esperber) præsertim sub ventre, pedes flaviūm habent colorem usq; ad genu seu coxam. Pullis totum os interius flauum est, ac si croco esset perfusum, oculorum ambitus in extremitatibus est flavius, rostrum est specie ac magnitudine Merulæ, pedes sunt aliquantò breuiores & flavi, vngues ut Merulæ innocui.

viii.

Cibus Cuculi sunt vermiculi, erucæ & muscæ in arboreis. Nam in terra raro conspicitur aliquid legere. In pomo prope meam domum, sæpè uidi Cuculum legere ac deuorare ericas, infestantes folia mollia & tenera

& tenera poma. Apiař quidam mihi narrant, se vidisse, quod in prima ex sua specu egressione, gemmas seu tubercula ex Betulis & Iulos inde pendentes, præmorderit ac vorarit.

Prodit autem ex sua cavaera seu lecto, quo per hyemem decubuit Cuculus, in vere, intra Pascha & veris benignis Pentecosten plerūq[ue], quando terra incipit reuirescere, & arbores sua foliola paululum exerunt. Ibi igitur circumvolans, initio quidem diu expectatus & gratissimus cantor iste prælato est cum suo Ruckuck, quo veluti gratulatur hominibus vernum tempus, ubi mundus quasi renascitur, & incipit iterum alimenta pro hominibus & animalibus proferre. Quia hyems omnia exhausit atq[ue] absumpsit. Circumvolat autem subinde iste cantor, nec modò intra densas sylvas sese continet, sed pagis & oppidis vel maxime sese adiungit, tanquam hominibus ex Dei dispositione, lætius tempus congratulans, ut dixi. Evidem uideamus ob oculos, sapientiam diuinam varie in orbe ludere, Proverb. 8. & publicè testari, omnia in hoc mundo ad delectationem & usum hominum à Deo facta esse. Sic & Alauda proprius sese in aruis colono iungit, cui aranti dulcissimum melos fundit, & parcè simul cum ipso ex granulis in agro relictis, nec tectis humo, quæ alias perirent, comedit. Sed ad Cuculum reveruntur.

Quando ex arbore aliquantulum cuculauit, volans in aliam (Non diu enim solet uno in loco residence, tanquam præconem communem agens) in illo interuallo solet interdum quasi screare nonnihil, aut aliam vocem edere. Vulgo putant, eum saliuam illum expuere, quæ circa culmos herbarum hæret,

vt quidem non raro circa caules Oxalis & Ocymini agrestis, item Superbae, quae vocatur Gauichblum/ reputatur, & a populo appellatur spuma Cuculi (Kuckucks speichel) verum, vt ego opinor, falso. Nam illa spuma circa caules haeret, & videtur alias annata, aut ex aere collecta. Si foret saliuia ex ore Cuculi defluens, tum per herbam sparsim iaceret, id quod non cernitur.

**Silvaticus.**

Curriculum suæ vocationis à Deo sibi præscriptum habet Cuculus à verno tempore usq; ad Iohannis Baptiste diem, Ultra quem non diu coccysat. Postea vero quasi defatigatus assiduo & diurno clamore, sit raucior, & tanquam voce iam deficiente, aliquandiu silentio se dedit, alias circumerrans. Declinante autem æstate, ante autumnum mature iterum sibi de lecto quietis hyemalis prospicit, se seq; ex hominum aspectu eripit miranda sagacitate naturæ suæ, idq; tam clam, vt nemo mortalium eum videat suam caverulam intrare. Absens prius desideratur, quam discedens conspicitur. Necq; uidet quisquam eum quicquam in lectum suum deportantem, vel lanarum, vel musci, vel plumarum, vt molliusculè recumheret, vel vermium, vel granorum, vel fructuum, ad victimum in hyeme. Innoxius itaq; præco læti temporis, absq; affectione fructuum, reuertitur in suum cubiculum. Ac sanè mira res est, diutius ferè se continet in illo suo dormitorio, quam foris est in spacio hoc aëre. Hirundines, Merguli & aliæ auiculæ sub hyemem discedentes, aut se se abscondentes in stagnis, in ripis, in arundinetis, & tempestivius cuculo reuertuntur, & diutius commorantur, & hyeme urgente primū, quasi inuitæ hoc hemisphærium, quod æstatem habuit, deserunt.

**Endicatum  
ocellatum.**

In catas

In cauas autem arbores, natiræ ingenio exq[ui]stis-  
tas, sese abdunt cuculi, vbi tutò & commodè possint  
hybernare. Pleruncq[ue] autem cauas salices amant. In ca-  
lidis regionibus, etiam cauernas petrarum dicuntur  
ingredi. In eo autem domicilio tot mensum spacio  
iacent cuculi, absq[ue] omni cibo & potu, Deo pro suo be-  
neplacito hasce aues (vt & alias, sese in arbores, terram  
aut aquam abscondentes) sustentante. Interea verò  
dicuntur Cuculi pennarum suarum radices exugere;  
Nam nudi in hyeme reperti sunt in illis suis cellulis.

Est & hoc obseruatione dignum: Non sunt multi  
cuculi, vt quidem vides aliarum specierum aues, esse Pancitas Cucus  
plures in eodem loco, aut in vicinia, sed Cuculi ple-  
runq[ue] solitarij in uno circulo vociferando Ruffuf ac  
circumvolitando, suum officium faciunt. Rarò ui-  
deas duos aut tres concurrere, idq[ue] cum fit, sese mutuo Avis solitariae,  
quasi persequuntur & fugant. Alij autem, quisq[ue] sci-  
licet in suo circulo, similiter pensum suum absoluunt.  
Fœmina autem, vt & inter reliquas canoras auiculas  
fit, tacet, ac procul dubio de otorum substitutione in  
peregrinos nidos, solicita est. Existimo autem pau-  
citatatis cuculorum (suum tamen numerum ex istis præ-  
conibus Deus annuatim custodit & conseruat) cau-  
sam esse, quia in hyeme rapaces volucres, quales sunt  
in primis Bubones & aliæ sylvestres Noctuq[ue], item Mu-  
stelæ & Martes, Culos reperientes in cauis arbori-  
bus, ad famem suam exaturandam, discerpunt atq[ue] de-  
glutiunt.

Vixit porrò est & hoc adh[ec]cere. Scabiem nonnul-  
li Cuculo adscribunt, quæ tamen in ipso non est nota-  
bilis, cute forte ipsius asperiore & scabra, post tam  
longam cubationem in suo latibulo.

DE C U C U L O .  
D E F I N E .

*Officium Cuculi.*  
*Vsus in Medicina.*  
*Vsus theologicus.*

Finis & usus Cuculi est in conspectu. Est enim nuncius Verni ac resurgentis anni, quem Deus gratulatum hominibus cum sua sonora & quidem duplice syllaba perpetuo constante voce (KVCKKVCK) sic circumvolitare voluit, donec completo suo munerere, iterum se in tabernas cauernæ conderet. Excitat itaq; ista avis & mortales ad agnitionem & prædicacionem beneficij Dei, qui annum renouans, hominibus, iumentis & cæteris animalibus, gratos cibos iterum ex terra producit.

In Medicina Cuculus sic locum inuenit. In Maio captus aut ictus, tota sua substantia cum pennis, in olla fustili & accurate occlusa, crematur, atq; in puluerem redigitur, qui contra febrim putatur, vulgo quidem, utiliter accipi.

DICTA ET PROVERBIA  
de Cuculo.

Cuculus, homo stolidus appellari solet, forte quia Cuculus tantum vnicā nouit cantionem, duabus syllabis constantē. Rarissimē enim tertiam syllabam adūcit.

Cuculus etiam pro ignaro habetur, vnde nonnulli vineas aut arbores suis laboribus curantes, viatores prætereuntes solent vexare: Cuculos ipsos esse vociferantes.

*MCCCCXVII.*  
Coccysare dicuntur, qui cum fastidio eadem subinde recantant.

Cuculus suum Nomen prodit, solet etiam prouerbialiter usurpari, pro eo, qui suam ruditatem vel malitiam, proprio ore aut stylo patefacit.

Oua

Oea in alienum nidum ponit, ut Cuculus, de adulteris usurpatur, thoros alienos intrantibus. Hinc mulier in Plauto, suum maritum malæ fidei, vocat Cuculum. In Asin.

Ingratus Cuculus dicitur in eum, qui benè meritis malam rependit gratiam, idq; dictum ex ea opinione ortum est, quod pullus Cuculus deuoret Curru-<sup>sup. 7.</sup> cam, matrem atq; altricem suam. Verùm nemo id se uidisse testari potest.

Scabiosus vt Cuculus, de reuera scabiosis dicitur, aut qui aliâs sunt prauis opinionibus, vel etiam moribus imbuti.

Vites resecare Cuculo vociferante, ignatio tribuitur qui iustum tempus vites resecandi neglexit, suo cum damno, vt Plinius testatur. Quælibet enim suo <sup>Lit. 26. cap. 10.</sup> conueniente tempore sunt peragenda. Nam volat irrevocabile tempus.

Cuculus lusciniam prouocat, seu : Cuculus cum luscinia cantu decertat: dicitur de stolidis hominibus, pugnantibus cum doctioribus de rebus captum ipsorum excedentibus.

Apud Saxones clamor cuculi cum læticia exci-<sup>sæcum ad hanc</sup>  
pitur, quia tum putantur farcimina illa, facta ex carne porcorum sub autumnum, ac suspensa fumoq; non-nihil durata (die Metwürste oder Braiwürste/ item Knackwürste) esse matura ad esum, ita cruda nimirum, non addita coctione. Nam sunt illis quidem hominibus, grati saporis, & prorsus innoxia ista cruda farcimina, id quod ipse quoq; inde à teneris, (cū & ipse Saxo sim) expertus sum. In alijs autem regionibus, eiusmodi delitiæ minus curantur, plurisq; faciunt nonnulli deuorationem crudarum herbârum,  
*ut lactu-*

vt lactucæ, nasturcñ, dragunculi, item allñ, separum,  
&c. sed maneant suæ cuiq; genti geniales delicie.

Pueri audientes coccysantem auem, solent iocari  
& dicere: Cucule quæro ex te, quandiu viuere debe-  
an: & postea numerant, quoties suam vocem iteret.  
Breuius autem expectatione sua dimisi pueri, solent  
exclamare: Cucule tu es mendax.

Wenn der Kuckuck durch einen kalen Baum schreicht/  
so werden dasselbe Jar viel Diebe/ vulgo dicitur, hoc est,  
quando cuculus per caluam (nondum virentem scili-  
tet) arborem clamat, tum eo anno multi sunt fures.  
Quænam autem sit eius rei ratio, non video, Credo  
igitur esse vanum sermonem.

Wenn der Kuckuck schreiet/ist gut wandern. Quando  
Cuculus cuculat, commoda est peregrinatio. Ratio est,  
quia aeris constitutio est bona, & viæ sunt sicciores  
& magis idoneæ, & pauperiores facilius iter facere  
possunt.

Pausan. in Cœ  
ritubias.

Iuno apud quasdam gentes picta & sculpta est in  
sceptro suo gerens cuculum, quia Iupiter aliquando  
ad ipsam uenerit in specie Cuculi. Fortè autem Iuno  
voluit significare, suum maritum esse adulterum, vt  
Poetarum fabulæ turpia multa de suo loue nugantur.

Postremo herba est, quæ vulgo dicitur Cuculi  
flos, Kuckucks blumen/estq; species Damasonij, flore pal-  
lido, cauo, calcei formam aliquomodo repræsentante,  
Vnde & Germani nonnulli vocant Sanct Marien  
schuch/ id est, Calceum Marie.

Cuculus etiam piscis est, qui vt Cucus, aliquo  
sono capienti obstrepit. Aristoteles lib. 4. Animal.  
cap. 9. Ein Redfisch/ Katbart.

DE VM-